

XXXVIII. sic, I. Corinth. VII. apostolus parentibus concedit ut tradant nuptui filias suas. Hodierni quoque evangelii nuptias cum parentum et amicorum consensu celebratas esse, colligitur ex eo, quod mater Jesu, titulo cognationis, de communi doctorum sententia, ad eas vocata fuerit. Ratio, quæ id suadet, est, quia parentes melius intelligunt, quid liberis expediat, remque maturius ponderant, quam ipsi. Deinde liberi irreverentiam exhibent parentibus, qui rem tanti momenti, in se vel invitis illis adoriuntur. Imo et injuriam eis faciunt, quia dant parentibus nepotes, quos ipsi nolunt. Et propterea Esau, quia duxerat uxores alienigenas, quæ animam patris offenderant, Gen. XXVI. et XXVII. merito fratri subjectus est. Excipiunt ab hac lege doctores.

Primo : si desiperent aut furerent parentes.

Secundo : si alia in regione procul morarentur parentes, ab iisque diu recte abesset filius, instit. de nupt.

Tertio : si a nuptiis invitos ac repugnantes, natos jam maturos iidem prohiberent parentes.

Quarto : si ne vel dotem vel sumptum in nuptias moderatum dare deberent iidem parentes, ad alias filios urgerent nuptias, leg. I. ff. de ritu nupt.

Quinto : si aut non contradicerent parentes, aut si propter locorum intercapedinem contradicere non possent, attamen ejusmodi matrimonium verisimiliter putarentur, si id cognoscerent, approbaturi. Sic enim Jacob non Rachelem modo ac Liam, sed earum ancillas duxit uxores, Gen. XXIX. et XXX. Sic et Saram junior Tobias, Tob. VII.

Sexto : si conjux a parentibus proponeretur hæretica, vel hæreticus alteriusve impietatis ac superstitionis, ut si Turca, ethnicus, Judæus.

Septimo : si item proponeretur crudelis, ferus, acerbus, pacis domesticæque tranquillitatis impatientis, prodigus, ebriosus, laborum suo congruentium statui fugitans, deses, proditor, perduellis, aliisve gravibus vitiis contaminatus ac infamis.

Octavo : si leprosus, clinicus, morbosus, deformis admodum, graveolens, aliisve similibus quibusdam rebus nimium intolerandus.

Nono : si fortuna conditioque dispar admodum, ut si liberæ ac ingenuæ servus dandus esset maritus, principi feminæ plebeius.

Decimo : si qui recto matrimonii scopo adversaturus omnino indicaretur.

Undecimo : si denique filius ipse esset emancipatus, prout tam jurisperiti quam theologo tradunt, et clare significat Tridentinum, sess.

XXIV. dec. cap. I. dum de solis filiis familias quosdam secus opinatos monstrat.

Quod si quis, parentibus merito invitis, contraxerit, ratum erit matrimonium, nec a quoquam irritari potest. Quemadmodum et Sanctus Ambrosius ad Sisinnium scripsit, epist. XLIII. merito quidem eum indignari, quod filius eo in se et invito uxorem duxerat; consulto tamen id filio ignoscere, qui nemini quam sibi uxorem illam acceperit. « Fuit quod succenses filio, inquit, sed fuit etiam, quod remitteres qui sibi uxorem delegit. Sane tibicen sibi ad proprium tonum deligit tibias, sic oportet, ut deligat conjux conjugem, » ait Callicratides. Certe nemo invitus cogi a parentibus ad matrimonium debet. Unde Plautina, in sticho panegyris ait : *Stultitia est, pater, venatum ducere invitos canes. Hostis est uxor invita quæ ad virum nuptum datur.*

Observent autem parentes, ut ne justo tardius aut ante ætatem congruam liberis suis quærant conjuges. In priore enim casu præteribuntur filiæ præsertim, aut concupiscentia victæ in turpitudinis barathrum cadent. In posteriore vero multa pertimescenda sunt, virium defectus, liberorum infirmitas et mala educatio, cum scilicet viderint liberi patri barbam pullulare, dilapidatio bonorum ob imperitiam regendæ familiæ, etc.

Quod si parentum consensus merito requiritur, multo magis ad stipulatio ipsius Dei, ut scilicet eo benevolente et amico sacramentum suscipiatur. Quia enim uxor bona donum Dei est, et matrimonium sacramentum factum est, in quo Deus gratiam et auxilia sua, quasi spiritualem suppellectilem ad status illius difficultates superandas dare promisit, debent contrahentes ante omnia curare, ut in gratia Dei sint, cum sacramentum hoc suscipiunt : ideoque prius si qua labe se aspersos viderint, eam abstergant penitentiae lavacro. Idcirco enim primam uxorem adduxit ipsemet Deus homini, ut indicaretur ab ejus manu benevola conjugem accipiendam esse. Et quemadmodum parentes, quibus offensis contrahat filius, non accedent ad nuptias filii, nec porrigent ei manum, cum inceperit egere, nec dabunt eam, quam alias daturi erant dotem, nisi postmodum eis reconcilietur; sic et Deus non intererit nuptiis peccatoris, nec dabit gratiam contrahenti in peccato mortali, sed ad iram potius provocabitur, donec recedente hominis fictione ei reconcilietur. Isti enim proprie Deum a se et mente sua excludunt, ut illi septem a dæmone oppressi, Tob. VI. quia gratiam Dei sibi oblatam repellunt.

V. Christus forti et magno animo suum cum Ecclesia matrimonium aggressus est, nihil non periculorum, curarum, afflictionum sufferre paratus, non pro illa tantum, sed etiam ab illa. Idcirco enim in ipso quasi sponsalium initio asperissima quæque experiri voluit, quando adhuc in utero matris peregrinari trans montana, et servis suis ministrare, paulo post ad imperium terreni Cæsaris in Bethlehem abire, et ibidem profiteri, necnon in stabulo diverti, nasci et morari tempore brumali, fasciis involvi et in præsepio reclinari voluit. Quis ista videns et considerans non exclamasset : Heu quam præclarus futurus est hic Ecclesiæ maritus ! Quam patiens, quam amans, quam laboriosus ! Refert Plutarchus de præcept. conjug. Lepti, quæ Africae urbs est, moris esse patrii, ut postridie nuptiarum sponsa ad soerum mittat petitum ollam, illam vero negare, et quidem cum convicio, ut ita novecalem soeris animo initio statim sponsa experta, non ferat iniquo animo, si quid ei postmodum asperius contingat. Eandem prorsus fortunam Christus initio statim matrimonii sui experiri voluit, cum in domo sponsæ suæ nasciturus hospitium sibi concedi vel ad paucos dies petiit, sed repulsus ab illa est, ideoque in stabulo diverlit, *quia non erat ei locus in diversorio*. Nimirum optime præcavit Christus, quid molestiarum a sponsa sua et propter illam perpessus esset, propterea quamprimum aleam hanc subire et dorsum cruci suæ voluit submittere, postquam semel statuit uxorem hanc accipere. Ad illius igitur exemplum, quicumque apud se decrevit matrimonii jugum trahere, debet magno et forti animo supponere collum suum, nec aliud sibi persuadere, quam quod multæ undique tribulationes eum maneant, et quod curas etiam quandoque inversus constanter sit trahendus. Verissimum enim, quod apostolus ei prædixit : *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*, id est curas, sollicitudines, labores, angustias, etc. I. Cor. VII. Unde quis talium dictum sibi existimet : *Sustine aut abstine*. Seu quod Varro, in Menipp. dixit : *Vitium conjugis aut tollendum est, aut ferendum*. Olim apud Græcos, Romanos et Hebræos uxores a maritis certo aliquo servitii labore aut dato pretio emebantur, et vicissim subinde viri ab uxoribus. Sic Jacob servivit pro Rachele septem annis, Gen. XXIX. David Micholem centum præputiis Philistinorum sibi despondit, II. Reg. III. Oseas fornicariam sibi emit quindecim argenteis, Ose. III. Saxones et Burgundiones trecentis solidis sibi a parentibus coemebant. Sed non video cur uxor sit emenda pretio vel laboribus, utpote in su-

dore et algore, curis et angustias perpetuo alenda. Satis igitur magnum pretium offert pro uxore, qui magnum affert animum, quævis aspera tolerandi, nec ab ea discedendi quibuscumque in angustias. Hoc pretio consequentium laborum coemptam tibi uxorem existimato : ac quemadmodum ursus in rupe deprehensus a venatoribus involvit caput brachiis, et ex illa se dat præcipitem, ut saltem caput non offendant; sic facito et tu, cum in statum conjugalem te ipsum vis devolvere : animam munito patientiæ et fortitudinis brachiis, ut saltem spiritus salvus sit; caro enim veniit.

Sed objiciet mihi aliquis : Sero ista dicis, jam adussi digitos; nupsi non ut debui, et ideo vinum deest mihi; omnia mihi insipida, omnia sunt aqua. Quidquid video crux est; quidquid audio, tonitru; quidquid gusto, fel est; quidquid olet, fætor; quidquid tango, spina est. Sed non est abbreviata manus Domini : potes adhuc invitare illum, et ille potest aquam tuam vertere vinum. Invitabis autem Christum primo, si cum Deipara Deum ores ut vinum subministret. Sic fecit Tobias, cum uxorem probe peteret. Ingegnit enim orans cum lacrymis : *Justus es, Domine, et judicia tua justa sunt*, Tob. III. Deinde, si exemplum Christi imiteris, et cum mala conjugate bonus sis, nec a præceptis divinis recedas. Quid enim Christus non tolerat etiamnum ab Ecclesiæ membris innumeris? Annon jugiter tota die blasphematur nomen ejus etiam a fidelibus? Annon perpetuis injuriis ab illis lacessitur? Et tamen idcirco eam non deserit, nec amare et fovere cessat. Tanta porro est hujus patientiæ vis, ut omnes conjugii labores, curas et fastidia vertere in gemmas possit, et aquam tribulationis in vinum æternæ retributionis. Et nunc verissime adimpletum videbis, quod dixit architriclinus : *Tu autem, Domine, servasti bonum vinum usque huc*. Id quod utinam nobis omnibus proptinet ibi Deus. Amen.

CONCIO II.

AFFLICTIONES CONJUGUM MITIGANTUR.

I. Orbitas. — II. Liberi immorigeri. — III. Paupertas. — IV. Molestia alterius conjugis. — V. Zelotypia. — VI. Ægritudo.

THEMA.

Erant autem ibi lapidæ hydræ sex. Joan. II.

Posset quis cogitare pauperiores sese nuptias nec vidisse nec audisse quam Cananæas illas. Nullæ enim visuntur nuptiæ etiam mendican-

tium centumculorum, quibus aqua apponatur. At vero in illis Canæ nuptiis hydriæ ponuntur, et nisi, quam continebant aquam, mutasset Christus in vinum, utique aqua bibi a convivis debuisset. Sed si rem accuratius expendamus, videbimus profecto sex illas hydrias easque lapideas reperiri in multis nuptiis, seu conjugiiis. Aliis enim nulli sunt liberi cum valde expetantur, et jam vinum deest, hilaritas nimirum illa et consolatio quæ ex liberis provenit. Alii habent liberos, sed reprobos et degeneres, et hi rursus aquam bibunt et quidem lacrymarum; alios paupertas vexat, nec hi vinum bibent; aliis male convenit cum conjugibus suis, et perpetua jurgia sunt: en iterum hydriam aliam et quidem lapideam. Alii advertunt conjugis sui infidelitatem, et hi rursus aquam illam amaram zelotypiæ bibunt. Denique alii cæterum beati, sola valetudine destituuntur, aut per amaram mortem ab invicem divelluntur, et quantæ ibi aquæ ex oculis imoque pectore profluentes! Cæterum nobis nunc videndum, num qua ratione fieri queat, ut sex hydriæ istæ, vel Domino præstante in vinum mutantur, aut saltem vino aliquo consolationis temperentur.

I. Hydria prima est orbitas. Dura est hæc hydria, scimus enim Rachelem, cum cerneret sterilitatem suam, marito suo dixisse: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, Genesis XXX. Nimirum res molesta est, tam grave subiisse jugum, quale est matrimonium, causa liberorum, et interim hoc sine privari. Sed quid respondit uxori Jacob? *Num pro Deo ego sum, qui privavi te fructu ventris tui?* Ubi clare indicat remedium hujus afflictionis petendum esse a Deo, qui sibi reservavit clavem generationis. Unde Chaldæa paraphrasis sic habet: *Nonne a facie Domini petere debuisses, qui prohibuit a te generationem ventris tui?* Quod si postquam a Deo petierint, non impetrant, cogitent orbitatem sibi magis expedire. Habet enim et orbitas suas commoditates. Non habet eas molestias, quæ ex liberorum educatione proveniunt: non ita angustiatur, cum vita excedit, quia nulla chara pignora relinquere debet; non habet unde impediatur a servitio divino; non habet quibus opes magno labore comparet; habet autem meliorem hæredem, quem si velit, instituere potest, Deum videlicet: quo modo sancti illi conjuges patricii Romani, cum hæredem non haberent, B. Virginem instituerunt et templum ei extruxerunt, quod ita acceptum erat Deo, ut locum templi miraculosa nive in media æstate designari, cujus rei memoriam festo die peragimus, 5. augusti. Denique Annam sterilem uxorem suam ita consolabatur Elcana: *Anna*

cur flet? Et quare non comedis? Et quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non melior tibi sum quam decem liberi? I. Reg. I. Quod si igitur conjuges optime sibi conveniant, et sincere invicem ament, non egent solatio liberorum. Si vero tales non sint conjuges, quærant sibi Deum amicum, qui melior ipsis erit, quam qualescumque liberi. Quod si liberi tibi per mortem sunt adempti, dicito cum Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Et cum Francisco Borgia, cum ei nuntiaretur mors filiae: *Depositum acceperam, repetit Dominus*, Ribaden. lib. IV. c. VI.

II. Hydria secunda, liberi immorigeri. Alii enim liberos habent quidem, sed immorigeros, perversos, contumaces, ita ut ignominiam suam in illis intueantur, et perpetuo metuunt, ne aliquando videant pendentes in patibulis aut totius familiæ dedecora fieri. Salomon certe dicebat: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit*, Eccle. II. Quid si scivisset filium suum, regni hæredem, stultum futurum et regnum dissipaturum, uti contigit? Triste spectaculum est parentibus videre liberos suos dissipare bona brevi tempore, quæ ipsi tota vita studiosissime corraserunt. Tristius adhuc, cum vident eos vitiiis deditos pergere ad interitum. Hinc enim M. Aurelius Antonius fertur voluntaria inedia periisse ex mœrore, quod videret filium suum Commodum, talem futurum aliquando, qualis jam tunc extiterat, nequissimus nimirum et crudelissimus, Jul. Capitol. in Marco. Similiter Severus imp. cæteroqui felicissimus habitus, in filiis infelicissimus erat. Etenim ob filiorum dissidium et insidias, quas ab Antonino filio patiebatur, mœrore confectus obiit, Dio. Sed quid mirum erat, si impii parentes et Christianorum acerbi persecutores, quales illi erant, impios haberent filios? Mali corvi mala ova. Malum parentum exemplum plus valet ad depravandos liberos, quam quævis disciplina ad bene instituendos. Multos sapientissimos libros scripsit Salomon; sed filius ejus Roboam non tam ad patris libros, quam ad quotidiana ejus vitia aspexit, ideoque reprobus factus est. Similiter et M. Aurelius magna diligentia educari curavit filium, accitis undique rhetorum et philosophorum clarissimis magistris, quibus maxima congiaria pronuntiavit, Herodian. lib. I. Sed parum id ei profuit, filio in parentis vitia potius intuente, quam ad disciplinam sibi traditam. Quare ne mirentur ejusmodi parentes, si videant filios suos fallere, mentiri, jurare, execrari, inebriari, impudice loqui, rixari, alios devovere, etc. hæc

enim exemplo suo illos docuerunt. Justum autem est, ut quæ, quis fecit, hæc et ferat. Sed si quis velit inspidam hanc aquam verti sibi in vinum, bene fecerit, si imitetur S. Job, qui cernens septem filios suos perpetua celebrare convivia et simul epulari, mittebat ad eos et sanctificabat eos, postquam in orbem transissent dies convivi: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: *Ne forte peccaverint filii mei et benedixerint*, id est, maledixerint, *Deo in cordibus suis*, Job I. Itaque parentes provocent suos liberos ad Dei cultum et pietatem, purificent eos salutaribus admonitionibus et disciplinis, offerant pro iis holocausta Deo, etc. instituunt liberos ad pietatem verbo primum, deinde exemplo. Hoc oportet eos facere, et illud non omittere.

III. Hydria tertia, eaque heu! lapidea est, paupertas, cum nimirum non est panis in domo, liberi multi interim et debita non pauca. Redundat sæpe hæc hydria lacrymis, dum multoties ejusmodi familia mendicare erubescit, et fodere non valet, et amicos sibi facere nequit. Quid igitur facient? Quis amaras istas aquas nonnihil mitigabit? Dico primo, patientia. Vel enim hujus mali ipsimet causa sunt, qui patiuntur, vel Dei providentia; et utrovis modo acquiescere debent. Multi paupertatem et merissimam inopiam pro dote habent, et absque ulla necessitate immature se despondent, cum nihil prorsus possideant, et honesta potius servitia obire deberent. Et quid mirum si postea egeant? Recensuit mihi quidam amicus meus, venisse ad se nuper notum quemdam juvenem, qui aliquantulum census pro mensa comparanda ab eo petierit, dicens: Non ita pridem uxorem duxisse, nec habere adhuc mensam, comedere se cum uxore sua super scamno. Miserrimi mortalium! Itane mensam nondum habetis et nuptias celebrare ausi estis? Ubi vobis cibi? Ubi postmodum liberis vestris? Viderint sane ipsi; sed viderit et magistratus, qui talia permittit; unde liberorum egenorum multitudine civitates prægravantur. Quod si qui nulla sua culpa pauperes sint, conforment voluntatem suam cum divina, et cogitent Deum tales eos habere voluisse, non solum quia hoc pertinet ad communem mundi gubernationem, sed etiam quia vidit hanc eis sortem magis expedire, quam si divites facti essent.

Dico secundo, parcimonia; nam qui multos habet liberos et debita, parce debet vivere. Qui quatuor habet, non vivat sicut is, qui duos: qui habet octo liberos, non vivat tam liberaliter, atque is, qui quatuor. Deinde non devorent una vice patres in tabernis substantiam liberorum,

unde multis sæpe diebus sustentari potuissent. Annon vident gallinas morsum sibi ex ore detractum filiorum necessitati suggerere? At multi sunt parentes, qui non modo non hoc faciunt, sed etiam panem filiorum ori ipsorum detrahunt et una cum eo filios quodammodo suos devorant. Videte num æquum et bonum sit, sumere panem filiorum dare ejusmodi canibus.

Dico tertio, timor Domini; hic enim si in pauperum domibus hospitetur, non patietur eos magnopere egere, quia divitem amicum habent. Audi Tobiam filio suo dicentem: *Noli timere, filii mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene*, Tob. IV. Si magnum aliquem amicum haberes, eumque opulentissimum, parum te affligeret, quod te videres pauperem; sperares enim in omni necessitate tibi ab amico tuo subventum iri: at si Deum timeas, amicum habes optimum simulque opulentissimum. Quid igitur est causæ, cur aliqua familia semper egeant, a creditoribus perpetuo accensentur, semper in carceribus detineantur; nisi quia non timent Deum, non recedunt a peccatis, non faciunt bene.

Deinde, qui abundant liberos, ablegent eos a se ad serviendum aliis. Sic enim accipitres, ubi primum advertunt fœtus suos volatum tentare, eos e nidis ejiciunt, pennis propulsant et præcipitant ad volatum, nec cibum amplius ad eos deferunt, ne videlicet illi in tenera ætate pigrescant, et discant escam expectare potius quam quærere, Ambros. I. V. hexam. c. XVII. Sapient igitur parentes vel accipitrum exemplo.

IV. Hydria quarta est alterius vel utriusque conjugis importunitas et rixandi libido, quando vir est quasi leo in domo, etc. Talis enim vendi ratio marmoream facit hydriam, et ferreum jugum ac speciem quamdam inferni. Fertur Mezentius tyrannus homines vivos mortuis alligasse, ut horum fœtore illi torquerentur et interirent; quo quidem supplicio quid gravius esse poterat? Non absimile huic videtur matrimonium litigiosum. Sed quid factu opus, ut hydria hæc mitigetur? Utique viribus opus est, fortior enim vincet debiliorem. Sed qua ratione fortior evades conjuge tua? Audi Isa. c. XXX. *In silentio*, inquit, *et spe erit fortitudo vestra*. Si rem verberibus aut verbis ages, neque te vinces, neque uxorem compesces, sed magis exacerabis; at si patienter sileas, aut rem joco accipias, sperans iram conjugis brevi cessaturam, vinces te et illam. Dexterrimus in hac arte ferendi nimirum Xantippen morosam conjugem, fuit Socrates, qui dum omnes ejus molestias in risum traxit,

optime de ea ultus est. Cum aliquando diu rixantem in aedibus tulisset ac tandem fessus ante fores consedisset, illa magis irritata quiete viri, de fenestra eum lotio perfudit: qui tamen non ideo erupit in furem, sed prætereuntibus risum moventibus dicebat: *Facile divinabam post tantum tonitru pluviam secuturam.* Idem Alcibiadi rogandi cur rixosam illam mulierem e domo non eiceret, respondisse fertur: *Cum talem domi patior, assuesco ferre injurias aliorum, nec magis offendor, quam si rotæ, quæ aquam educit, stridorem audiam.* Addebat et hoc: *An tu domi tuæ non toleras gallinas crebro glorientes? Tolero,* inquit Alcibiades, *sed ova mihi pariant et pullos. Et mihi,* ait Socrates, *mea Xantippe parit liberos.* Idem, cum Xantippe in publico pallium ei detraxisset, ac familiares admonerent, ut injuriam manu ulcisceretur: *Pulchre,* inquit, *nimirum ut nobis colluctantibus acclametis. Eia Socrates, eia Xantippe.* Hujusmodi enim vocibus spectatores animant eos, qui rixantur. Maluit vir sapiens tolerantiae exemplum de se præbere, quam vulgi fabula fieri et ridiculum exhibere spectaculum viri cum uxore certantis, Laert. in vita. Accipe et hoc: Cogitet quis conjugum, se non habere tam malum conjugem, quin alii quam plurimi habeant multo deteriores. Audi quod scribit Hadrianus Barlandus. Quidam abunde comis, cum hospes vociferantem diutius uxorem ejus, rixantemque cum ancillis inique ferret, conversus ille ad hospitem: *Equa, amice,* inquit, *isthæc tua impatientia est? Duos et triginta annos hujus ego clamores fero patientissime, tu vero ne per unius quidem diei sextantem ferre illos potes? Quo dicto, et hospitem lenit et uxorem ab ira ad risum convertit. Sile itaque et spera ex conjugem meliora: ita fortior eris et vinees.*

V. Hydria quinta est zelotypia, cum scitur aut timetur alterius conjugis infidelitas. Sæpenu-mero alter conjugum temere alieno amori implicatur, unde alter perpetua zelotypia vexatur, quæ quanta crux, quamque marmorea sit hydria, norunt ipsi. Multis hæc mortem attulit. Et Cant. VIII. dicitur: *Dura sicut infernus æmulatio.* Eandemque ob causam permisit olim Deus purgationem uxori suspectæ de adulterio per aquas, Num. V. ut scilicet mariti ab hac cruce liberarentur. Sed quod huic malo remedium? Optimum fortasse quod S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. tradit. « Quid tibi profuerit, inquit, zelus, et nimia diligentia in servanda uxore tua, si enim inhonesta fuerit, vix illam custodire poteris, si casta et honesta, custodia opus non habet. Infida enim custos castitatis est necessitas, etc. » Facit huc documentum illud

quod Barlam dedit Josaphato per apologur apud Damas. in vita, c. X. Ubi ait comprehensam aliquando a quodam philomela, cum mox jugulari deberet, hominem rogasse pro liberatione, velle enim se illi optimam doctrinam tradere. Accepta lege: « Triā, inquit philomela, servato in omni vita tua: rem quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærit; rem, quæ non est verisimilis, ne credito; rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Dimissa igitur avicula, arbori insedit, et affari hominem illum cœpit. Væ tibi quid fecisti et quantum bonum perdidisti! Etenim in meo ventre maximam fero gemmam, quantum est ovum struthionis; quod si eximisses, omni vita beatus forens. » Mox ille lamentari et miris blanditiis avem denuo invitare in domum suam, spondens omnem benevolentiam; tum ipsa ridere hominem et reprehendere, quod doctrinam sibi traditam nequaquam observasset; siquidem incredibile sit, tantam gemmam in tantilla contineri avicula, incassum vero dimissam assequi et denuo velle capere, stultum autem dolere ob rem factam, quæ infecta fieri nequit. Dico ergo nunc modo simili, vel uxor tibi bona et fidelis est, noli ergo credere fidem ab ea fractam, quia non est verisimile; vel mala et inhonesta, et noli in ejus nimia custodia frustra fatigari, quia vix servare poteris; vel infida et adultera, et noli nimium dolere, quia quod factum infectum fieri nequit.

VI. Hydria sexta est ægritudo unius aut utriusque diutina, et in primis mors. Multi inveniuntur conjuges, honestæ sustentationis et bene sibi convenientes, interim tamen infirma semper valetudine sunt, et nunc alter, nunc uterque lectis affiguntur, et se mutuo juvare nequeunt; sæpe etiam venit improvisa mors et alterum ab alterius latere divellit. Ecce, hydria ultima lacrymis redundans. Sed quid cogitandum talibus? Cogitent Dominum Deum optimum et amantissimum medicum suum esse, qui exacte noverit vinum prosperitatis et sanitatis eis perniciosum aut minus salubre esse, maxime si purum bibatur; idcirco id miscere interdum aqua tribulationis et diuturnæ ægritudinis, ut sic minus noxium sit. Jucundum quidem et suave vinum est prosperitas sanitati juncta in conjugio; sed quoniam ejusmodi vino facile quis inebriari et nimium incalescere ad multa vitia potest, magno conjugum bono temperatur id a Deo, aqua ægritudinis. Quare Sapiens, Prov. V. conjuges alloquens dixit: *Bibe aquam de cisterna tua,* q. d. ne polluas te alieno thoro, sed ulere tuo, ita tamen velut aqua, qua sitim quidem extinguas, non tamen

te inebries aut ad voluptatem bibas, siquidem: *Adulter est in suam uxorem,* ait Xystus philosophus pythagoricus, *omnis impudicus amator ardentior.* Proinde, uti quis non ex alieno tantum, sed suo etiam vino inebriari potest, ita et conjugio.

Eandem ob causam sæpe medicus ille cœlestis alteri conjugum omnino aufert et interdicit vinum, cum dulcissimum nimirum conjugem ab ejus latere divellit per immaturam mortem, quia id ei utilius est. Vidit hoc Melania Marcelli consulis Rom. filia, quæ cum marito nondum humato binos insuper amisisset filios, ita se ab omni dolore temperavit, ut diceret: *Jam magis expedite tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti,* Hieron. in ep. ad Paulam: et S. Elisabetha regina, quæ marito vita functo, quod hinc etiam occasionem Deo magis serviendi nacta esset, liberata ab onere conjugii, dicebat: « Ut viveret vir meus, nulli labori parere volui: verum eo nunc, Deo volente, ita sublato, ne minimum capitis dederim capillum, ut mihi vivus restituatur, » Sur. tom. VI. in vita.

Denique universale pro omnibus remedium idque facillimum et solidissimum est oratio, et sanctorum invocatio; uti enim ad preces B. Virginis matris suæ vertit Christus aquam in vinum, sic faciet etiam nunc. Multoties factum est, ut conjuges liberos non haberent, et precibus impetrarent, etc. Bene igitur et prudenter agent conjugati, si patronos sibi eligant Josephum et Mariam. Hi enim secum habent illum, qui potest aquam mutare in vinum, etc.

CONCIO III.

DE OFFICIO CONJUGUM ERGA SE MUTUO.

- I. Vir sit caput mulieris, et uxor pareat viro. — II. Vir honoret uxorem similiter uxor virum. — III. Vir amet uxorem, amet et uxor virum. — IV. Vir alat uxorem, et uxor juvet virum. — V. Vir sufferat uxoris defectus, uxor etiam toleret defectus viri.

THEMA.

Quid mihi et tibi est, mulier. Joan. II.

Prædicta verba ad matrem quidem suam Dominus locutus est, fortasse tamen in bonum et gratiam novorum conjugum quasi pro munere nuptiali. Quid enim melius loqui ad conjugem suam maritus potest, quam: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Hoc videlicet sensu: *Quid mihi est faciendum? Et quid tibi est faciendum? Hoc*

si scirent conjuges, et sedulo perpenderent, optimum haud dubie foret eorum conjugium. Sane novi conjuges in regno Mogor, instante nuptiarum die, prius sepulera obeunt et reserant, seduloque contemplantur, quo nimirum finem vitæ suæ expendant, antequam liberis vitæ initium dent, ut scribit Hieron. Xavier. in lit. annuis, anno 1598. Optima quidem hujus disciplinæ schola est cœmeterium, ibi domus figuli (Dei) in qua auditur Dei verbum et discitur quid unicuique faciendum, Jeremiæ c. XVIII. Sed nos ad paradisum potius adducemus conjuges.

I. Vir debet esse caput mulieris, ut ait apostolus, I. Corinth. XI. hoc est, suaviter ei præesse et imperare, quo modo caput suis membris præest. Dirigit enim ea oculis, movet, et in officio continet. Ad hoc indicandum mulier e viri costa facta est, non de pectore, ne velut domina præcederet; nec de tergo, ne velut ancilla sequeretur; sed de latere, ut tamquam unum ex ejus membris obediret ei velut capiti. Unde Adam vocavit eam os ex ossibus suis: *Hoc nunc os, etc.* Hæc potestas capitis data est viro a Deo, cum creavit eum ad imaginem et similitudinem suam, ut præsit terræ universæ adeoque etiam mulieri; idcirco ut hoc munere fungi posset, majorem ei scientiam, robur et potestatem dedit, quam mulieri, ut eam docere, regere et in officio continere posset: idcirco etiam Adamo soli præceptum illud de non comedendo ex arbore vetita per seipsum intimavit: idcirco etiam Adam hanc suam potestatem mox exercuit, præceptum sibi a Deo datum mulieri insinuando, ne et ipsa transgrederetur, et præterea sicut animantibus reliquis, ita uxori etiam suæ nomen imponendo, ad ostendendum scilicet, gubernatoris esse, omnium quos sub se habet nomina nosse, et unicuique munia sua distribuere. Videtis ergo quam multis argumentis ex primæva institutione vir caput sit mulieris et gubernator; sed, ut dixi, suavis, non tyrannicus, non contra Dei aut Ecclesiæ præcepta. Imo hæc viri in mulierem potestas adeo est naturalis, ut contrarium plane sit monstrum, si mulier nimirum dominetur viro, non differens ab illis monstruosis hominibus qui caput infra brachia, in pectore et ventre habent; mulier enim de costa viri effecta est, quæ infra brachia et caput, non supra esse debet. Unde etiam sequitur viro dedecus esse, si patitur sibi ab uxore clavum eripi, non minus, quam si quis gladio stipatus patitur sibi ab inermi eximi et auferri gladium, plagasque infligi. Viro gladius datus, non mulieri. Est tamen, cur vir non prorsus respuat consilia